

**Dissertatio medica inauguralis de adhibenda medicina febribus ... /
submittit Henricus van Convent.**

Contributors

Convent, Henricus van.
Albinus, Bernhard Siegfried, 1697-1770.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Ex officina Boutesteiniana, 1726.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/yunrvze3>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS.

**ADHIBENDA MEDICINA
FEBRIBUS.**

QUAM,
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. BERNARDI SIEGFRIED ALBINI,

MEDICINAE DOCTORIS, ANATOMES, ET CHIRURGIAE IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROFESSORIS ORDINARI:

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis

ritè ac legitimè consequendis,

Publico & Solenni Examini submittit

HENRICUS VAN CONVENT, Vlard. Bat.

Ad diem 18 Junii 1726. hora locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORVM,
Ex Officina BOUTESTEINIANA 1726.

ADDITIONAL LIBRARIES
THE LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF TORONTO



D. ARNOLDO VAN CONVENT,
M. D. PATRI MEO OPTIMO, NUNQUAM
NON VENERANDO.

NEC NON

VIR O S P E C T A T I S S I M O ,
S T R E N U I S S I M O Q U E ,

D. JOANNI VAN CONVENT,
ILLUSTRIUM AC P. P. ORDINUM HOLL.
ET WESTFR. VICE ARCHITHALASSO PRU-
DENTI, INTREPIDO, SUB ILLUSTRI COL-
LEGIO ARCHITHALASSICO AD MOSAM;
PATRUO MEO UNICO, IN ÆTERNUM
OMNI HONORIS CULTU PROSEQUEN-
DO.

UT ET

I N T E G E R R I M O V I R O ,

D. HENRICO VANDER MAAS,
MERCATORI APUD AMSTELODAMENSES
VIGILANTISSIMO; AVUNCULO MEO U-
NICO, PLURIMUM SEMPER HONORAN-
DO.

TUM ETIAM
*VIRIS CELEBERRIMIS,
ERUDITISSIMIS,*

PRÆCEPTORIBUS MEIS HONORATISSIMIS,
FUNDATORIBUS STUDIORUM MEORUM
MEDICORUM, AD ROGUM USQUE OMNI
SINCERÆ REVERENTIÆ GENERE SUSPI-
CIENDIS,

**D. BERNARDO SIEGFRIED
ALBINO,**

M. D. ANATOMES ET CHIRURGIÆ
PROFESSORI DEXTERIMO, H. T.
RECTORI MAGNIFICO.

D. HERMANNO BOERHAAVE,
A. L. M. PHIL. ET MED. DOCT., MED. BO-
TAN. ET CHEMIÆ PROFESSORI EXCEL-
LENTISSIMO, COLLEG. CHIR. PRÆSIDI
DIGNISSIMO, PROMOTORI MEO EXOPTA-
TISSIMO.

**D. HERMANNO OOSTERDYK
S C H A C H T,**

A. L. M. PHIL. ET MED. DOCT., MED.
THEOR. ET PRACT. PROFESSORI EXPERTI-
SSIMO, ILLUSTRIUM AC P. P. ORDINUM
HOLL. AC WESTFR. COLLEGII THEOLOG.
MEDICO, COLLEG. PHARMAC. PRÆSIDI
MERITISSIMO.

Hanc Dissertationem Inauguralem


D. D. D.

HENRICUS VAN CONVENT.

B. L E C T O R I.

Quum me nunc etiam gradum doctoratus ambientem imposita lex jubet, specimen aliquod dare ejus. quam à præceptoribus hauserim, doctrinæ; hinc, tantummodo ut legi illi satisfiat, in animum induxi, pro argumento dissertationis eligere hanc materiem, quæ sc. exhibebit præcipue, an & quando Medicinam aliquam febres requirant. Expertus jam demum Materiæ hujus difficultatem, fateor, nimis fortè temerario ejusdem pertractionem à me Juvene & inexperto Medicinæ studioſo susceptam esse; spero tamen aliquam mihi adhuc conciliaturum excusationem antiquum & receptum istud In Magnis voluisse sat est. Nova hic non invenies, nec polliceor: conatus tantummodo fui illa, quæ aliunde, maximè ex præceptoribus meis haurire potui, & quæ ad nostram hanc rem pertinere arbitrabar, breviter in formam hujuscemodi dissertationis digerere. Rogo nunc porro, & expecto à te, B. L. ne ad ordinem vel stylo rudiorem, nimis offendas, & quæ rei ipsi deficiant, ut humanissimè suppleas. Vale.

A DIS



DISSE^TRAT^IO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ADHIBENDA MEDICINA
FEBRIBUS.

§. I.

Febris unde nomen sortiatur, non inquiro: majoris verò erit utilitatis monere, quid febris sit, seu quid per febrem intelligatur.

§. 2. Noscitur ex solo pulsu febris adesse, ex ejus nempe celeritate majori; celerior autem pulsus non potest esse, nisi cor celerius contrahatur; celerior illa cordis contractio supponit celeriorem sanguinis & liquidi nervosⁱ versus cor affluxum; qui rursus, reliquis paribus, denotat humorum nostrorum per vasa fluentium motum celeriorem: ita ut hinc noscatur idea cujuscunque febris, qua febris, physicè tantum consistere in velociore circulatione. Haud tamen id ita intelligendum est, quasi semper, cum febris est, omnes nostri humores in velociore majorique forent motu, neutquam: potest enim à variis causis tam insignis quidem sanguinis pars in vasis stagnare, seu fluorem amittere, ut vel sufficiens spirituum copia

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS.

copia non suppeditetur; vel tam parum sanguinis versus cor refut, ut istud ritè nequeat impleri; vel tanta fiat cordi resistentia, ut ventriculi se bene evacuare non possint; unde tunc celerior quidem, sed simul etiam debilior orietur cordis contractio, paucioris sanguinis expulsio, & hinc minor circulatio: id tamen verum est, quod in febre per celeriorem pulsus semper conatus sit ad majorem motum, quantumvis symptomatis alicujus causâ suffocatus vel diminutus ille videatur. atque hinc in abstracto febris considerata bene definitur, quod sit aucta sanguinis circulatio. Quicunque certè aliud quid velit addere, non tam febrem, quam causam ejus vel aliquod symptoma definire videtur. Nec nego quidem. rarissimè forte simplicem talem febrem, ubi sc. solus circulationis excessus peccat, deprehendi, & diu sic manere non posse, quin multis aliis constipetur symptomatis: tamen hanc ita considerare, ut, quid in corpore febris faciat, eo melius possimus explicari, valde conducit: inde enim dependet omne, quodcunque faciat boni, omne etiam, quodcunque faciat mali. Hanc itaque febris datam definitionem, ut justam, assumimus.

§. 3. Hæc vero febris non modò in causis suis, verum etiam effectibus deprehenditur diversissima, adeo ut interdum maximè sit salutaris, saepe lethalis; semper tamen videatur non nisi naturæ conamen esse ad sui conservationem: quare Medicus, qui statim omnem sibi obversantem febrem indiferenter velit tollere, æque posset peccare, quam qui semper eam soli velit committere naturæ. Possunt sanè ortiri febres, quæ melius relinquuntur, quam auferuntur; sed possunt etiam esse febres, quas tutò sibi neutiquam committere licet, verùm quæ nobilissimæ artis Medicæ auxilio revera indigent. Res itaque est summi momenti, ritè distinguere, in quibusnam casibus Medicina febribus convenient, & quid præstare possit. Hujus vero rei cognitio nititur, ni fallor, præcipue in eo, ut ex ipsâ febris indole noscamus, quid febris efficiat. Hoc igitur nunc indagare aggredior.

A 2

§. 4.

4 DISSERTATIO MEDICA

§. 4. Diximus jam in prioribus, quod febris simplex & sincera (uti vocat *Pitcarnius*) non sit nisi aucta sanguinis circulatio: inquirere itaque breviter oportet, quid faciat in corpore nostro circulatio, & quidem circulatio aucta.

§. 5. Notum jam fuit post tempora *Harvæi*, quod omnis nostra vita consistat in sanguinis circulatione; hæc quamdiu nullis modis impedita, per omnia nostra vasa ritè potest fieri, tam diu perfectè sani sumus: hinc crudorum coctiones, assimilationes, omnesque secretiones, excretiones, bonæ; impediuntur concretiones, obstructionesque; adeoque omnes functiones in corpore bene succedunt. Quando autem increscit illa circulatio, non existente alio quopiam morbo in corpore; tunc 1°. circulationis dicta effecta sunt etiam eo majora; sed insuper cum sic augetur vis sanguinis in vasa, vasorumque in sanguinem, oritur ingens vasorum & sanguinis, languinique partium inter se mutuo attritus; auctus calor; liquidi tenuioris diffusio; sanguinis crassities, & spissitudo inflammatoria; ejusdemque in salia & olea acria volatiliorque facilis exaltatio; quid longus sim? hinc etiam vasorum arteriolorum aucta amplitudo; major eorundem impletio; impulsio liquorum in vasa non debita: unde tandem obstructiones, vasorumque destructiones; quare impedita sensim circulatio, & mox omnes functiones turbatae, depravatae, & sexcenta porro, quæ inde sequi possunt, mala pessima, tandem & mors. Hæc nunc est febris, suntque hæc symptomata febris, quæ vel à solo aucto animali motu produci potest, & nulli præexistenti corporis vitio interno originem suam debet acceptam habere; sed patet tamen, quantopere omnes humores & vasa brevi vitiare possit, & revera etiam vitiet, hincque perpetuo aucta, desinat tandem in febrem acutissimam. Interim est hæc febris summum etiam naturæ conamen, quo succurrat insigni spirituum dispendio, quod in motibus illis animalibus fit, & quo adjuvet illos motus: tum etiam, cum majori motu sanguis in arteriis magis accumulatur, harumque ideo extremitates magis implentur, unde major cordi resistentia; requiritur etiam

major

major vis propellendi illum sanguinem in venas; hinc febris manet & hoc respectu necessaria. Quin etiam potest fortè talis febris oriri ab acri quodam stimulo, partibus solidis vel fluidis inhærente, quam natura hac ratione conatur subigere, vel excutere: quod tamen si propter stimuli pertinaciam satis brevi & facile efficere minus sit efficax; mox, manente illo stimulo, excitato nimis motu, augebit non modo causam priorem; sed novas & vehementiores producendo, poterit vel acutissima fieri febris.

§. 6. Scilicet si degeneratio humorum, vel eorundem transitus in vasa non debita, vel etiam vasorum ad transmittendum contentos humores ineptitudo, fecerit auctam maximè resistentiam ad vasa capillaria, simulque tunc oriatur velocissima cordis contractio; verissimè adeste dicitur febris acuta. Qualis nimirum vocatur, quæ velox periculum infert. Imo vero in omni omnino febri, à quacunque etiam causâ internâ oriatur, non nisi haec duo supponuntur; velocior nempe stimulati cordis contractio, & lensor resistens ad vasa minima: prout autem haec vario fiant modo, variisque à causis, multiplex exsurgit febrium variatio. Non puto, ex dissertationis hujus scopo necesse, ut latius haec extendam. Quin sufficiunt, credo, ut nunc possimus pergere, videndo ulterius, quid prætente tali febre in corpore debeat fieri: atque sic bona æque & mala expectanda inde esse effecta patet.

§. 7. Itaque prius in genere videamus, quâ ratione & quo usque febris bono esse possit; quâ etiam ratione noceat: ut postea facilius inde deduci queat, quando utilitas, quando noxa major febri insit.

§. 8. Præterquam igitur, quod febris conferat sæpe ad continuandam impeditam multum circulationem h. e. ad vitæ ipsius labefactatæ prorogationem; dum sc. multis vasis obstructis, per reliqua aperta sanguinem traducit, & circum absolvere facit (confer §. 5.): omnis qualiscunque febris, ab internâ cauâ oborta, supponens lentorem aliquem ad vasa capillaria, quo illa obstruantur, semper conducit ad

illum lentorem abigendum, nec saepe absque febre solvi ille poterit. Id verum est etiam, quando lensor febrilis, vel obstructio, sit propriè ex vitio vasorum nimis angustorum: nam & tunc febris, licet quidem minus interdum, tamen semper aliquomodo utilis potest considerari; quatenus sc. majori hac vi transitum molitur conciliare. Maximè autem id verum est de lentore proprio, seu visciditate undecunque liquidis natâ, obstipante vascula minima: sive tunc hæc viscositas sit pituitosa, mucosa, lenta, non inflammatoria; sive etiam sit phlegmonodes vel inflammatoriè spissa. De priori illâ viscositate assertum meum nulli, credo, dubium erit: hæc enim ex languente humorum motu, vel non satis subactâ assumtorum cruditate quum oritur, optimè igitur vi vitæ, per febrim hanc adactâ, videtur lenta illa materies subigi, solvi, & mobilis reddi posse.

§. 9. Sed quando obstructionem illam fecerit viscidum inflammatorium, seu coagulatio quæcunque sanguinis inflammatoria, an tunc etiam requiritur febris ad solutionem? nonne potius hoc in casu augetur semper à febre obstructio? Resp. omnino & in hoc casu requiritur febris, optimèque molitur natura sese per febrim liberare: Sed hoc bene intelligatur: nam non volo, quod semper illa, quæ adest febris, in illo corpore, in quo est, tali, quali nunc affligit, gradu, omni ratione conveniat: neutquam: attigimus enim jam ante, & infra ulterius videbimus, quod naturæ molimina possunt quidem nimis enormia esse: adeoque indagandum volummodo est, quid hic à febre possit, & debeat fieri, cur requiratur. Causa febris hic ponitur obstructio inflammatoria: sed hæc nihil aliud significat, quam quod humor aliquis densior, compactior, phlegmonodes, talia ingressus sit vascula, quæ ad finem pertranare non potest: necessum itaque, ut quamdiu hic coagulatus ille humor maneat, sileant multæ functiones, partesque omnes, quæ ab obstruēto vase deberent sua accipere liquida, multum laedantur, quin tandem pereant, sed nisi pars illa obstruens possit venire ad ultimum finem vasculi obstructi, integras fluxus restituī non potest: nam

retro

retro pelli illam particulam pressio liquoris à tergo neutiquam permittit: quâ ergo ratione poterit illa pars obstruens venire ad finem? certè non nisi propulsione vel totius infractæ partis, vel illius prius diminutæ: omnis vero propulsio est à circulatione, eique proportionalis; sed illa, quæ, dum fieret obstructio, aderat propulsio h. e. circulatio, non erat sufficiens satis illam materiam obstruentem propellere; hinc majori opus est propulsione h. e. majori circulatione h. e. febri: adeoque etiam eatenus febrim quam maxime requiri & necesse esse patet. Sed objicit quis, quo major fiat propulsio, eo pertinaciorem fieri in vasa conica impulsum, adeoque & neutiquam superandam obstructionem? sponte decidit hæc objectio: nam ulterius aucta propulsio tandem trudet partem obstruentem in venam; nisi sc. tam fortiter obsistat, ut prius vel vasa rumpantur, vel ipsa vita desinat: sed hæc nunc non est quæstio; hoc nihilominus verum manet, quod aliquando talis propulsio locum possit habere, illamque febris, qua febris augeat.

§. 10. At ut clarior adhuc hujus rei habeatur idea, simulque innotescat, quomodo per febrim quæcunque attenuetur materia obstruens, & attenuata tunc demum propellatur; operæ pretium duxi, unam alteramve observationem egregii *Leeuwensb.*, utpote quæ hanc rem optimè elucidet, hic inferere. Observavit oculatissimus ille vir (ut scribit in *Epist.* 67) in Vespertilione quodam hoc mirabile: sc. videbatur ipsi istud animal propter contusionem forte vel & frigus in alâ suâ membranaceâ habere coagulationem sanguinis in vasculis non-nullis minoribus, ibidemque inde ortam obstructionem, adeo ut sanguis in vasculis istis non potuerit liberè circulare: sed (quod notandum) per reliqua vascula libera videbat vir ille tam celerem circulationem, ut judicaret computando, septies quidem uno minuto secundo fieri systolen arteriæ, ejusque diastolen: in aliis ejusdem animalis partibus observavit itidem plurima vascula coagulato sanguine obstructa, dum per vicina fiebat celerrima circulatio. Quid sit? post paucos dies observabat in vasculo quodam tenui sanguinem aliquem

quem prius stagnantem incipere sensim promoveri, ita ut tandem in venam deductus, celeriter versus eorū dederetur: simul videbat in tenuiore aliquo ramusculo inter coagulatum sanguinem serum interpositum; massa hæc conjunctim quinque vel sexies successivè propulsa, & iterum repulsa, tandem in latiorem celerrimè ferebatur vénam. Habetur in Epist. 119. similis vel adhuc magis elegans & clarior obser-vatio: nempe in animalculo isto, quod dicitur vermis ranalis (vulgo *Donderpadde*) conspiciebatur vas aliquod sanguineum ad finem suum obstructum, ex quo vase alia plura egredientia, majorem acquirebant & capacitatem, & etiam transuentis humoris motum: in vase autem obstructo, quod pro-pius obstructioni ipsi, eò minor erat motus: interim singu-lis cordis pulsionibus sanguis in obstructum impellebatur, continuo vero repellerebatur. adeo quidem, ut videretur (inquit Leeuwenh.) quasi terrâ factus celerrimus reciprocus mo-tus. Hoc vir ille acriter intuitus, tandem post præterlap-sum aliquod tempus, cernebat coagulatum sanguinem sensim etiam versus vasculi fineri magis magisque incipere reciprocè protrudi & repelli, donec postremo universus ille sanguis in motum redibat. & liberè per vasa transfluebat.

¶. 11. Sane ex hisce experimentis puto manifestissimum esse, quod sanguis aliquis condensatus & stagnans, per con-tinuos cordis arteriarumque iectus seu motum oscillatorium, non modo possit in motum reduci, sive tolli orta inde prius obstrunctione; quin etiam partium constituentium san-ginem, mutatae ob coagulationem figuræ possint in sta-tum naturalem restituiri. Hinc ex natâ humorum in corpo-re condensatione, indeque vasorum obstrunctione, suborta febris optimum naturæ instrumentum est, (reliquis sc. p'ribus) quo tollatur illa obstrunctione, & naturalis ipsis humo-ribus reconcilietur fluor perinde vero est, num humorum illa peccans coagulatio sit inflammatoria, an aliunde na-ta; quamvis tamen glutinosum inflammabile, haud ita facile possit solvi, quam quidem pingue pituitosum; cuius rei ratio videtur, quod glutinis inflammatorii particulæ ma-gis

gis sint compactæ, condensatæ, firmius applicatæ, interfluente tenuiori sero magis destitutæ; hinc gluten hoc minus solubile: ceterum omnes sanguinis condensationes in eo facile coïcidunt, quod sublato particularum intrinseco motu, particulæ hæ invicem applanentur, amittantque circularem suam figuram, quæ, nisi resuscitato ipsarum motu, restitui ipsis nunquam poterit. Motus verò illius resuscitatio non potest fieri, nisi motu vasorum oscillatorio, hunc febris auget egregiè, adeoque auget etiam causam restituendi particularum invicem unitarum motum intrinscum. Concludo igitur, quod febris per se optimè adjuvet ipsius febrilis lentoris concoctionem & etiam expulsionem.

§. 12. Sequitur jam itaque, ut inquiramus, num febris etiam, quatenus à causâ stimulante pendeat, potis sit suâ virtute illum stimulum subigere, vel corpore expellere. Stimulantia omnia sunt acria: hæc certè à nimio humorum attritu in corpore nostro maximè oriri posse, nemo peritus inficias ibit: nec tamen minus verum est, unicam esse circulationem, quæ humorum omnium nostrorum acrimoniam impedit: quando enim hæcce nimis languescit, mox in spontaneam suam humores incident corruptionem. Dupli ratione impedit circulatio acrimoniam; 1º. quatenus sic omnes particulæ æquabiliter undique pressæ, & perpetuo inter se motæ, reducantur necessario in figuram sphæricam, quæ aufert omnem acrimoniam, utpote ex acutie angularum solummodo oriundam. vel 2º. quatenus istud, quod jam acre, & vi vitæ indomabile est, motum per corporis vasa, ad renes vel alia secretoria applicatum, ibi secernatur, reliquosque humores sanos relinquat. Hæc itaque cum effecta sunt circulationis naturali modo peractæ, haud difficulter inde docemur, quid fieri debeat à circulatione auctâ h. e. à febre, quando sc. febrem tantummodo in se, quatenus sit aetus motus, consideramus, non habitâ ratione alias forte mali, quod ex aucto tali motu possit oriri.

§. 13. Sic igitur & hoc respectu nunc appareat, quì febris sit naturæ instrumentum ad sui ipsius causam abigendam. Quin & ubique, quando febris in corpore deprehenditur, illam sic considerari posse, facile foret demonstratu, à quâcunque etiam causâ originem habeat; sive hæc hærebat in vasis, sive in humoribus: omnes quippe causæ hæc non male, ut puto, reducentur ad immeabilitatem vasorum quorundam, vel ad stimulum, vel ad utrumque: sed in omni hac ratione febrem conducere & ad coctionem, & ad expulsione, hinc & tempore cruditatis & tempore criseos, jam, ni fallor, satis vidimus: adeo ut si aliunde in febre non esset timendum, omnium optimè hæc corpus ab omni malo semper purgaret, sanitatemque ei amissam restitueret: quare summâ cum ratione febris ab eximio & expertissimo Sydenhamo dicitur ipsa esse *naturæ instrumentum*, quo partes impuras à puris secernat; idque ab illâ præstari in initio, etiam in *anum morbi*, verum apertius in ejusdem declinatione.

§. 14. Verum enim vero dum sic morbosum quodvis natura omni suâ vi molitur à se arcere, non potest interim non sæpe incurrere in omnia illa mala, quæ nimia circulatio sensim adfert, quæque adaugentur morbosâ illâ diathesi, quæ vel febribus adeat, vel unde etiam febris oriebatur. Hinc pessima illa, quæ febribus haud raro superveniunt, symptomata, quæ singula vel de se interdùm fiunt lethalia, dum causa excitans febrim non patitur ita facile tolli; quin potius magis magisque increscit: hic pertinent anxietates, calores, fitis, debilitates &c quæ tamen omnia accidere etiam possunt, dum interim causa febrilis minuitur, subigitur, quâ sublatâ, mox omnia illa symptomata sensim evanescunt: fin malum istud febrile haud satis citò possit superari, solida, fluidaque corporis quælibet corrumpuntur, tandemque vel alias morbus, vel ipsa inducitur mors.

§. 15. Ut verò utcunque adhuc clarius possit definiri, quid boni, quidque omnibus febribus insit mali; necesse videtur, omnium quidem illarum indolem rite simul considerare. Quod ut quantumpotè breviter & satis tamen perspicue

cuè fiat, animus tantummodo vertendus est ad duo febrium genera, sub quibus omnes comprehendendi possunt; quæ sc. sunt *Febris Continua*, & *Febris Intermittens*: *Febris* quippe *Continuata* potest concipi composita ex hisce.

§. 16. *Continua febris*, si non est *putrida*, supponens modo vehementiorem utcunque circulationem, vixque præterea malum aliquod symptoma habens coniunctum; orta adeoque à causâ levissimâ h. e. à levi quâdam vasorum capillarium oppilatione, vel leviori inducto stimulo; quantum ipsa ad causam illam tollendam è corpore conferat, ex præcedentibus, ut puto, jam satis patet: nimis acceleratâ hic circulatione optimè causa illa febrilis superatur; atque à levi hac acceleratione, dum humores haec tenus supponuntur fere boni, vix quidpiam mali inducitur; nisi forte causa febrilis irritans tantæ sit pertinaciæ, ut brevi haud possit subigi, vel superari; tunc enim diuturnitate quidem, & augmento sensim facto, alia pejoris notæ febris non raro exsurgit.

§. 17. *Febris* verò *continua putrida* aliam penitus requirit considerationem: Illa sc. non fit, nisi humores à statu suo naturali valde deflectant, acres fiant, à quacunque demum causâ id oriatur: plerumque verò & grave aliquod malum viscera occupat, & capillaria fere omnia pertinaciter sunt obstruēta: hinc igitur circulatio valde vitiata, aucta quidem quoad stimulum, & minorem vasorum liberorum multitudinem; sed haud parum etiam impedita propter maximas sæpe resistentias, & humorum, quæ adest, degenerationem: adeoque videntur hic effecta febris summopere nocitura; & profectò multum hic à febre mali expectandum revera est: sive quidem respiciamus ad humores, qui continuò magis magisque debent vitiari, quamdiu causa febris in corpore maneat; sive ad partes solidas, quæ debent deteri sensim, & functionibus suis ineptæ reddi; hinc ex utrisque majores obstructiones, inflammationes &c. ita quidem ut, quæ prius erat tantum efficacia febris, jam etiam fiat causa febris: hinc igitur vires indies magis magisque prosternuntur.

Omnia verò hæc mala eò fiunt certiora & pejora, quò corpus ægroti majorem ad hæc habeat dispositionem; sic homines pinguedinosi, & qui crasso sunt corpore, omnium maximè afficiuntur: nam pinguedo per febrem soluta, mox acris fit, & humoribus intermista, pessimè illos inficit: tum etiam quò causa febrilis fuerit pertinacior, magisque maligna, & humores immutans; sic in peste brevissimè quidem tota corporis Syncrasis destruitur: quò denique plures adsint alii graves morbi partium magis principum, magisque affligentes; sive tunc hi morbi ut fomes febrilis sint habendi, sive tantum febri superveniant, vel concomitantur: hinc enim major corporis perturbatio, & naturæ vehementior oppugnatio. Hæc igitur cum ita vera sint, mirum forte alicui videbitur, quod dixerim, nec etiam hoc febrium genus suâ carere utilitate: quod tamen cum generatim jam ex antecedentibus satis pateat verum esse, hic modò expedit, relativè ad hasce febres id proprius adhucdum paulisper indicare. Notamus igitur, quod hæc febres non oriantur, nisi heterogenei aliquid in corpus introductum fuerit; sive tunc hoc humoribus prius intermisum, cum illis permeabile maneat, illosque sic prius inficiat, commutetque in malam diathesin; sive id afficiat prius partes solidas: natura, sui semper conservatrix, irritata ab heterogeno hocce inducto, insurgit mox ad istud à se removendum omni suâ vi; vis naturæ est sola circulatio, hæc etiam sola concoquit, expellitque heterogenea, hinc hac ratione validissimè oppugnat omne istud heteroclitum. Neque adversantur hæc iis, quæ jam statim de pessimis illis hujusc febris consequentiis annotavi: potest enim malum istud, unde febris oritur, tantam habere vim & violentiam, quâ repugnat naturæ, ut hæc omni illâ ratione, quâ dixi ibidem, debilior fiat seu decrescat: imo si malum istud minus superari à naturâ potest, quam interim ipsa natura debilitatur h. e. si vis morbi naturæ vi major est, tandem debet omnis vita destrui. Hæc nunc omnia in febre acutâ, quò est acutior, eò fiunt magis subito; in febre verò lentâ

sadēm,

eadem, sed magis tardè, locum habent: adeo ut in quibuscunque hisce febribus necessitas majoris alicujus circulationis h. e. ipsius febris pateat, eatenus sc., ut natura sic suo invadenti resistat hosti. nec interim negatum velim, sæpiissimè hasce febres vergere in naturæ interitum.

§. 18. Videamus nunc, quid fiat in *Febribus Intermittentibus*. Videntur autem hæ à *Continuis* tantum in eo differre, quod cum *Continuae* conceptum motum febrilem unicâ modò vice ad finem perducant, eodemque tenore, absque sc. multiplicatione adscensum vel descensum; *Intermittentes* è contrâ partitis vicibus motum illum excitent, absolvantque, seu diversis temporibus causam suam morbificam oppugnant. Nostræ haud est provincie nunc in causas anxie inquirere, unde fiat illa paroxysmorum alternatio; animadverto tantum, quod necessariò in corpore hujusmodi febri laborante, debeat causa seu dispositio aliqua esse, quæ statis temporibus, quomodounque id fiat, præsentem facit causam proximam ipsius paroxysmi, ita ut causa hæc uniuscujusque paroxysmi ab ipso paroxysmo superetur, remanente interim adhucdum illâ dispositione priori quæ novum mox inducat paroxysmum, tamdiu, donec varii & sæpe redintegrati insultus ipsam hanc vel potuerint subigere; vel in alias hæc degeneret morbos. Vitium verò, quod hic deprehenditur, non malè viderur referendum ad depravatam humorum digestionem, & sic spiritus nervosos potissimum afficiens intelligitur; ita verò, ut varia in corpore mala possint huic vitio ansam dare, quæ ipsa sæpe non nisi ope hujus febris demum superari solent. Qui porro considerat circumspetissimè omnia, quæ in *febribus intermittentibus* accidunt, non dubito, quin assentiat mihi facile, in omni febrili hujusmodi paroxysmo peccare viscidam aliquam tenacitatem, obsecrantem arteriosorum vasculorum extrema; nec igitur ex præcedentibus difficultum, quomodo illa visciditas singulis paroxysmis résolvatur, siquidem id adhuc fieri potest; sin minus, debet tandem sanguinis impediri è corde expulsio, sicut circulatio h. e. debet fieri suffocatio. Inquirendum ve-

rò adhuc est in illa, quæ *febris intermittens*, quâ *intermittens*, in humano corpore producat. Certè nihil fere æque solvit humores nostros, redditque inertes, ac *febris intermittens*, quæ alterno suo calore & summo frigore fibras corporis minimas summopere debilitat: frigus enim contrahit vasa, rigidaque & firma reddit; calor facit ea graciliora, longiora, minus cohærentia: ex quâ elementarium partium permutatione, toties repetitâ, non potest non fieri ingens laxatio, fragilitas, hinc sensim magis impedita assimilatio, humorumque depravatio; quæ adaugetur etiamnum, cum optima sanguinis pars multiplicatis illis paroxysmis pereat: videmus hinc, cur febres hæ diutissimè perdurantes, haud raro tandem terminentur in varios morbos chronicos; quin & intellegi hinc etiam videtur, cur urina pessimorum *Scorbuticorum*, & *Quartanariorum*, si paulò steterit, plerumque sit fere eadem.

Interim nunc etiam constat, quod febris hæc corpus multis assuefaciat, & optimè per calorem & concussus suos depuret, ipsamque causam morbificam egregie concoquat: adeo ut, ni causa effectusque sint nimis vehementes, longævitati corporis maximè prospiciat.

§. 19. Viso itaque hæctenus, quoisque febris in se spectata, nec ratione habitâ aliis cujusdam affectionis alicubi in corpore delitescentis, bono esse possit; nunc necesse videtur, ut pergamus, & breviter etiam indagemus, ad quos præterea calus, & quomodo febris quidem utilis esse queat.

§. 20. Ex præcedentibus jam potuimus intelligere, quid febris quidem ad ipsarum inflammationum resolutionem potens sit efficere: saepè vero contingit, ut resolutio illa redatur impossibilis, & inflammatio abeat vel in suppurationem, vel gangrenam, vel sphacelum, vel scirrum; mala certè omnia naturæ nimis insurgentis effecta: omnium tamen minimum malum habetur suppuratio; hæc quippe supponit adhuc multum vitalis caloris superesse; quin per hanc ipsam & solam natura tunc separare valet morbosum obstructum

à sanis, facitque ita, ut malum è corpore auferatur; partesque sanæ recrescant. Ubique igitur, quando adest inflammatio, resolvi impos, optimum habeatur naturæ molimen, cum se per suppurationem liberet: imo semper, quando separatio quædam morbosī alicujus heterogenei, sive gangrēnosi, sphacelosi, sive qualemunque sit, quod resolvi vel partium nostrarum indolem induere non potest, à naturâ requiritur, tunc inflammatione marginum factâ, absolvit natura opus per suppurationem; sed nulla suppuratio fit absque inflammatione & febre; hinc hoc etiam respectu, si nimis suppuratione opus est, febris est summopere desideranda. Quid autem hic faciat febris, ut puto, clarum est; dum enim auctus est motus circulatorius, major fit arietatio non modo in obstruentem materiam, sed simul etiam in obstruetum vas, maximè supra obstructionem, quod hinc magis extenditur, attenuatur, & dum jam tenerum valde sit, facile tolvit; effunditurque liquor, qui cum semimortuis vasculorum particulis mistus in pus concoquitur, sub quo pure, ut naturæ balsamo, caro optimè regeneratur. Neque verò ita febris solummodo confert ad perficiendam suppurationem, verùm & in morbis iis, qui à pure cum sanguine commisto producuntur, summè necessaria est, ad concoctionem morbosī promovendam, & cocta corpore expellenda.

§. 21. Observarunt porro practici veteres & hodierni plurimos alios morbos, qui vel solius febris ope quandoque sanari possint, vel saltem ad quorum sanationem febris plurimum conduceat: audiamus modò nostrum *Hippocratem*, qui multus in hisce & fere omnium instar existit: sic v.gr. summi illius Medici est, *Convulsionem sanat exorta febris acuta.* alibi; *Si quis ebrius repente obmutescat, convulsus moritur, nisi febris exoriatur.* rursus: *Quibus Hypochondrii dolor est sine phlegmone, iis superveniens febris, dolorem exolvit.* alio loco; *Quartana Epilepsiam curat.* rursus alibi; *Stranguria Ileus superveniens, septimo die perimit, nisi oborta febre urinâ fluxerit cumulate.* Plura hujusmodi passim in ejusdem

viri

viri operibus inveniri possunt. In omnibus verò hisce casibús intelligitur potissimum febris, quæ aliunde in corpore oborta, nunc movet omne corpus, & quocunque ibidem crudum vel præternaturale deprehendat, vi suâ impugnat, debellatque. Sic (ut paucis *Hippocratica* hæcce loca illustremus) ex superioribus nunc satis docemur, qualis intelligi debeat *Convulsio*, quæ acutâ febri tollatur: haud enim quamcunque convulsionem febris curabit: nam si oritur v. c. ab inflammatione validâ; inanitione corporis generali; ruptis nervis vasculis; causâ aliquâ externâ, cerebrum comprimente, durâ immobili; vel simili quâcunque causâ; quid, quæso, febris poterit juvare? quin magis potius nocebit: determinari ergo debet, ad quod convulsionum genus potissimum respiciatur. Procul dubio hic debet intelligi omnis *Convulsio*, cuius causa majori circulatione, majorique inde nato calore, potest concoqui, vel dissipari: maximè igitur, quæ à lentâ pituitâ à materiâ, spirituum nervorum ordinatum motum, per compressionem vel obstipationem ipsorum nervulorum, impediente oritur; ita ut acre, quod simul adsit, irritans, non parum etiam ab ipsâ hac febre unâ commutetur, vel excutiatur; modò ne sit indomabile. adeoque plurimæ quidem *Convulsiones*, sive *Idiopathicæ*, sive *Sympathicæ*, præcipue verò, quæ subito, neque ex aliis prægressis morbis originem habent, superveniente febre tolluntur; non tamen quælibet: atque hæc forte etiam ratio est, quare *Hipp. in Aphor.* non tam absolute loquatur, sed dicat tantum; *Febrem Convulsioni supervenire, melius esse, quam convulsionem febri.* Non multâ nunc indigebit explicatione, cur acutæ potius febri hicce effectus adscribatur: ni enim calor sufficiens sit, ut materia convulsifica penitus possit moveri, attenuari, resolvi, discuti, & corpore expelli, irritata hæc vel parum commota ipsum malum insigniter sæpe augebit; vel febris taltem non juvabit: magna igitur debet esse febris, sed non nimia tamen, h. e. non tanta, ut præ nimio calore sanguis coaguletur, aut vires exolvantur: sic enim hac de parte longe magis interdum noceret.

Intel-

Intelligitur hinc etiam, cur *Paralysis*, vel & *levis Apoplexia* superveniente febre nonnunquam currentur: nimis si nimia in causâ sit humiditas, vasis debitum tonum auferens; vel viscida quædam materies mucosa vasculis corticalibus impæcta; vel effusus aliquis humor comprimendo vascula, impediens liberum spirituum vel sanguinis rubri fluorem in paralysi affectam partem; quæ eadem causæ si proximè totum sensorium commune afficiunt, producunt speciem illam *Apoplexiæ*, quæ febre, dum in initio supervenit, curabilis; si nervos alios, vel & totum sistema nervorum sub capite oriundorum, occupant, tunc hujusmodi curabiles oriuntur paralyses. Ex hisce nunc adeoque scimus etiam, quis *Coacæ* illius intellectus sit, ubi habetur, *Qui à trömate sunt impotentes corporis, exortâ quidem febre rigoris experte, servantur, non exortâ verò sunt apoplectici, partim dextrâ, partim sinistrâ.* Quin etiam *Hippocraticæ* veritati satis mihi videtur conciliandum, imo & egregiè convenire, quod alibi in *Coacis* invenitur. sc. *In Apoplecticis à spiritus angustiâ sudor proruptus, mortem subesse ostendit, contrâ, iisdem febris exorta morbum solvit: quando iisdem restriktè sumitur solum ad Apoplecticos, quibus nec spiritus angustia, nec sudor superveniunt; atque ita vult modò leviter affectos.* Confirmat hæc omnia magis, neutiquam labefactat ejusdem nostri *Coi* prognosis; *Apoplexia repente oborta, solubilis: adveniente lentâ febre, mortifera est.* Præstaret enim, naturam nihil, quam aliquid frustra moliri: pertinax autem nimis est causa quæcumque *Apoplexiæ*, quam ut lentâ febre possit excuti; sed gravis & vehemens febris id demum aliquando poterit (non tamen semper) efficere: Nec mirum itaque, quod in morbis chronicis *Quartana*, quæ summum excitat motum & calorem, interimque de se est securissima, tot sæpe mirificos præstet effectus. Memini sic certè ex ore *Cl. Viri H. Boerhaave, præceptoris mei, quamdiu mihi vita erit superstes, semper venerandi, audire; quod viderit Magnus ille Vir podagricum quendam, miserrimè doloribus his atrocissimis affectum, qui cum iisdem jam à longo tempore excruciatetur,*

accidit forte, ut per menses aliquot continuos quartanā corriperetur febre; quā perdurante, omni illo tempore à podagrā penitus manebat immunis; abeunte autem quartanā, redibant priores illi terribiles insultus podagrīcī: sacra ergo ipsi erat quartana, quæ poterat tantos avertere dolores, procul dubio solummodo cruditates corporis magis concoquendo, promovendoque ritè omnes digestiones. Hinc porro à quartanā *Epilepsiam* aliquando curari, quis miratur? quare etiam summus noster Hipp. in lib. de Mōrb. Vulg. profitetur; *Qui quartanā vexantur, magno morbo (puta, juxta Galeni interpretationem, Epilepsiam) non corripiuntur; quod si anteā corripiantur, quartanā succedente liberantur.* Dirus quippe hicce morbus pendere etiam potest à simili quādam interte, frigidā, indigestāque materiā, medullam cerebri occupante: sive tunc hæc materia consideretur obstruens partem sentientem, suāque interim irritatione producens mirificas illas convulsiones; sive tantum agens acrimoniā, vel qualitate quādam malignā cerebrum nervosque vellicando, constrictiōnem & cavitatum angustiam inducendo, faciens sic convulsiones, & simul sensuum interceptionem; vel quo-cunque id fiat modo (morbi enim τῆς ἐγκεφάλου haud ita distinctè hactenus cognoscuntur) id tamē verum esse videtur, quod à stagnatione liquorū quorundam ille morbus interdum oriatur; quibus igitur ope febris coctis, dissipatis, vel in motum redactis, morbus etiam sublatus erit: quin vidi ipse fæminam valde epilepticam, quæ pro tempore laborans quartanā vel tertianā interim nullum insultum epilepsia patiebatur.

Sed nunc ex iisdem fundamentis intelligitur etiam, cur hepatis, aliorumque viscerum abdomen contentorum obstrucciōnes non inflammatoriae, & proin etiam morbi inde oriundi, superveniente febre solvantur interdum: hoc referri possunt *levis Melancholia*, *Icterus*, *Leucophlegmatia*, *Hydrops* &c. sint modò vasa illarum adhuc virium, causæque obstrucciōnis tam parum contumaces, ut natura haud prius succumbat, quam malum fuerit eradicatum: Accidit certè, haud

haud ita diu, casus aliquis, egregiè hæc mea dicta confirmans, cuius observandi occasionem nobis dedit *Optatissimus & in æternum mibi honorandus præceptor, Cl. Vir H. Oosterdyk Schacht;* paucis igitur istum casum hic inserere non metuo: Fæmina sc. quædam mediæ ætatis, quæ penitus erat leucophlegmatica, corripiebatur febre aliquâ ardentissimâ, ita ut non obstante prioris sui morbi indicatione, ratione tamen febris necesse haberet insignem diluentium antiphlogistico-rum copiam; quæ etiam fuit propinata: sed nihilominus ejusdem illius febris ope omnis illa Leucophlegmatia penitus evanuit: cum verò mox, sedatâ febre, debilitata adhuc valde esset tota solidorum compages, facillimè intelligitur, cur in idem illud malum hydropicum incipiebat relabi; sed tunc adhibitis contrariis penitus remediis, nempe aperientibus, stimulantibus, leniter calefacentibus h. e. excitatâ leviusculâ quâdam febriculâ, quæ haud ita posset nocere, sed vires incitaret, adjuvaretque in id, quod crudi remansisset, coquendo; leucophlegmatia illa optimè tandem fuit debellata. Quid autem in leucophlegmatico isto corpore febris illa physicè præstiterit, satis, credo, (quantum saltem ratione detur assequi) ex omni hucusque habito ratiocinio potest intelligi.

§. 22. Nolo nunc materiæ huic diutius inhærere, cuius legitimam & absolutam explanationem agnosco quidem meis viribus majorem, nec video scopo meo esse valde necessariam: hinc potius modò dicenda super hac re quælibet contraham in dogma hoc generale; sc. quod omnis illa morborum farrago, qui à diminutâ vel deficiente nimis humorum nostrorum digestione & assimilatione oriuntur; 2º. qui à stagnationibus, obstructionibusque variis, aliunde inductis, veluti ex affectibus immoderatis animi, corpore antea sano existente, ortum ducunt, qualescumque demum illi morbi sint; omnis, inquam, talis morbus ope alicujus febris ritè possit curari; quatenus juvat febris concoctiones, viscosum attenuat, movet & promovet, quod stagnet, vasa aperit, morbosum expellit: requiritur itaque tantummodò, ut febris

bris magnitudine & duratione ipsi superando morbo satis respondeat; hinc neque ab unâ parte deficiat nimis, neque exorbitando ab alterâ parte plus inferat mali.

§. 23. Ex omnibus iis, quæ hucusque differui, nunc, ni fallor, satis constat, quantæ sæpe utilitatis possit febris esse, non modò ad suam ipsius causam evincendam, verum etiam ad multa in corpore delitescentia mala eradicanda: adeo quidem ut affirmare audeam, quod nulla omnino febris, qualiscunque sit, penitus sit inutilis; simul tamen jam etiam patuit, quæ & quanta quidem mala febris interdum adferat: atque hoc est illud naturæ morbique certamen, quod semper in decursu observare, ejusque exitum posse prævidere, medici, qui curationi febrium præest, summopere refert: hinc enim scire tandem poterit, quid agere oporteat; dum sic determinare valeat, undenam sit maximè timendum. Nostrum igitur nunc tandem erit, de hac prognosi adhuc quædam, rudiori licet stylo, pro virili tamen, breviter adumbrare: hoc autem commodissimè puto fieri posse, si attendimus ad febris causam efficientem variam; corporis febricitantis conditionem propriam; morbos alios simul præsentes; & ipsius denique febris vehementiam, statumque.

§. 24. Quod primum igitur attinet, febris sc. causæ diversitatem, hic est annotandum; 1°. quidem, quod causæ febrium diversitas includat diversam febrium naturam, seu quod particularis causa constituat particularem febris naturam. tum porro; quod licet ipsa quidem febris semper ut optimum naturæ instrumentum possit considerari, quo febrilis causa è corpore eliminetur; haud tamen omnis febrium causa æque facile vel tuto sic possit tolli. diversitatem igitur hic invenimus, neque modò ratione indolis causæ, sed etiam ratione loci eâ obseSSI: causæ rursus respectu indolis suæ possunt referri ad lentorem & stimulum. Quid per lentorem velim intelligi, B. Lector facile petet ex §. 6. 8. sc. omne illud, qualecunque sit, quod impedit liberum sanguinis per ultima vascula arteriosa transitum; præcipue materiam quandam viscosam, præternaturalem, obstipantem capillaria vasa. Viscosa autem

vel

vel lenta hæc materia si est à cruditate assumptorum, facilius longè superabitur, quam quæ à nimiâ sanguinis concoctissimi compactione, exsiccatione, seu quæ sit inflammatoria, oritur; augeturque difficultas hæc magis vasorum nimiâ coarctatione; sanguinis porro, si quæ præterea adest, degeneratio vergens in putredinem vel corruptionem aliquam, adhuc difficultiorem reddit πεπασμὸν; & putredo hæc si formitem in hectico quodam vitio habet, altera exsurgit difficultas; tum maximè, si quædam adest malignitas. Inquirere itaque hic semper rite oportet, quid propriè peccet, & num facile vel difficulter possit concoqui; quare quam maximè etiam attendendum ad causas remotiores, sive singulares, sive epidemicas. Idem dicendum fere de stimulo, qui varius admodum variè febrem producit; cum alter facile interdum vincitur, alter vix, aut sæpe ne vix quidem vinci potest: id quod apparet in morbis pestilentialibus vel venenatis. Sed multum etiam hic facit, considerare, ubinam præcipue in corpore causa mali latitet; an per totum corpus dispersa, an in aliquâ modò parte, & in quâ singulari. sic certè dum ab obstruktione inflammatoriâ in capillaribus arteriarum intercostalium ramis natâ oritur febris, longe plus apportabit mox incommodi & periculi, quam si illa inflammatio occuparet aliam minus principem partem; præterea enim quod major hic ita prope cor sit arietatio in vascularia tenerima in parte nunquam quiescente, unde dolor debeat exsurgere violentissimus, & mox suppuratione, vel gangræna pessima, magis quidem quam in aliâ parte; consideranda venit summa loci hujus integratatis necessitas, ut rite possit peragi respiratio; tum etiam partium maximè principum vicinia, quæ post suppurationem hic factam facilimè lethaliiter afficiuntur. Sic quando causa acutæ febris hæret in ἐγκεφάλῳ (unde Phrenitis) majus adhuc oritur periculum. Sic etiam quæcunque viscera ita affecta, ut causa alicujus febris existant, faciunt corpus non modò cum illâ febre colluctari, sed insuper illud debilitant suo ei denegato officio, & sæpe etiam depravando requisita aliarum partium officia.

Quò igitur loca affecta minus sunt principia, quò minora; quò lento obstipans minus pertinax, magis resolutione vel concoctione superabilis; quò stimulus eductu facilior; eò, reliquis paribus, magis tuto poterit febris sui ipsius causam oppugnare & debellare: eò enim natura morbo magis erit superior, & minus à reactione morbi resolvetur.

§. 25. At 2º. nunc considerari meretur varia ægrotantium conditio, & singularis eorundem temperies. De hac loquitur Medicorum princeps Hipp. cum ait in Aphor.: *In morbis minus periclitantur, quorum naturæ & aetati, & temporis magis similis fuerit morbus, quam in quibus horum nulli fuerit similis.* Nimirum quò corporis Idiosyncrasia minus commutetur à morbo, eò minus periculi adest; sed quò singularis temperies morbusque magis inter se similes sunt, eò minus corpus à naturali suâ temperie per hunc morbum deturbarur, atque hinc igitur facilior rursus ad solitum statum restitutio fit, quare eatenus etiam minus iis morbis inesse periculi intelligitur. Ceterum & hoc æque verum est, nonnullos posse ad gravissimum quendam morbum de naturâ suâ maximè esse dispositos, quo si corripiantur, tunc pessimè se habent, & teldifficur sanantur: haud parum enim talis morbus à tali temperaturâ fiet acutior. quod Hipp. etiam videtur indicasse cum lib. 1. de Morb. Vulg. loquens de phthisicis dicit, *eos maximè fuisse mortuos, quorum natura vergebat in phthisin.*

Hæc nunc si ad febres transferamus, facile apparebit, quænam temperamenta febres, & quas febres omnium minimè ferant. sic in illos certè, qui sunt temperamenti siccissimi, calidissimi, sanguinolenti, frigidi, vel similis alicujus, acutissima quælibet febris longe magis sævire comperietur, ibidemque majus excitare periculum, quam in aliis quidem, quorum temperies haud ita vim morbi adjuvet, aut non tam facile & multum eo immutetur. Huc jam porro referri possent prægressa victus consuetudo & vitæ genus, quippe quæ ad corporis Idiosyncrasian haud parum faciunt: sed maximè hic considerari debet ægrotantium aetas: summopere enim naturæ vires differunt in variis aetatisbus; cum media aetas est ro-

bu-

bustissima, prima & ultima prout à mediâ magis deflectant, viribus etiam pollut minoribus; hinc quidem febribus acutissimis minus obnoxiae, sed iisdem etiam sustinendis minus pares. Denique & anni tempus bene est animadvertisendum: febricitans enim haud omni anni tempore æque periclitatur, nec idem anni tempus omni febri æque prodest vel nocet. *Omnes quidem morbi*, dixit Hipp., *in omnibus temporibus fiunt: nonnulli vero in quibusdam ipsorum magis & fiunt, & exacerbantur*. Veluti enim, juxta eundem nostrum Hipp. magnis siccitatibus fiunt febres acutæ, & æstate maximè generantur ardentes febres; sic certè æstuosissimum cælum corpora facit ab iis febribus magis resolvi: febres vero intermittentes, utpote à causâ frigidiore obortas, videamus tempore verno, & incipiente æstate sponte saepè solvi; cum autumnus & hyems eas plerumque protrahat: sic epidemicæ multæ febres, uno tempore efficacissimis vix auscultantes remediis, altero anni tempore, contrario priori, saepè nullas ferè molestias faciunt. Non fert nunc proposita brevitas, ut longior in hisce sim: sed multa de hac re sparsum in suis operibus habent bina illa splendida Medicorum lumina Hippocrates, & Sydenham; ad quæ lectorem ablegamus. Satis jam puto videri posse, quam necesse medicus habeat in curatione febrium rite attendere ad constitutionem, in quâ ægrotans suus positus sit, particularem, adeoque & omnes, quæ huc faciunt, circumstantias, circumspectissimè considerare, ut naturæ morbique vires eò melius indagare possit.

§. 26. Transeo ad tertiam considerationem, quæ respicit sc. alios morbos, qui simul forte in corpore adsint: velim autem tales intellectos morbos, qui febri sunt θηγενέροι, vel quibus febris est θηγενέρην, ita nempe, ut & febris, & dicti hi morbi proximè à singularibus causis oriantur & persistant. Summopere certè oportet medicum ad hoc punctum attendere: saepè enim ratione talis alicujus morbi febris multum poterit esse utilitatis (ut jam ante vidi mus); saepè rursus tanto majora quidem inde expectanda in-

com-

commoda. febri autem morbus aliis aliquis superveniens, naturam unitis cum eâ viribus tunc facilius prosternit, nisi (quod raro) morbus ille febrim tollat: quod ab Ictero aliquando fieri, testantur practici; dixitque Hipp. *Convulsio febris vacationem adfert*: sic & alii forte morbi interdum cri-
seos ratione febrim tollent, ceterum prout hic rem conside-
ramus, natura debet eo magis inde pati, magisque sæpe fe-
bris intendi. Sed nunc aliter sese res habebit, si considere-
mus morbos prius, & tunc quid febris illorum respectu ef-
ficere possit: morbo certe corpori prodesse interdum febris,
sæpe magis nocere potest, prout morbus antea affligens va-
rius, varia etiam sit febris. apparuit jam ante, quales qui-
dem morbi solâ febre currentur: nec verò semper ea contingit fe-
licitas, ut corpus inhærente aliquo malo per febrim liberetur;
cum multorum morborum ea est natura, ut per febrim potius
excandescant: Dixit summas Hipp. *Apoplexia, quæ cito incidit,*
alioqui sanabilis, à diuturnâ febre mortifera fit. Maximè autem
corpora phthisica, scorbutica, cachectica, morbo jam sum-
mopere debilitata, invadens febris quedam magna, extre-
mâ sæpe affligit pernicie: talia quippe corpora vix poterunt
tantæ vi amplius resistere: quin etiam omnes illi morbi,
qui febre curabiles habentur, considerari debent non
modò quatenus currentur à febre, at quatenus etiam
plus simplici respectu febrim possint magis reddere
nocivam, dum sc. satis commodè & cito eâ superari ne-
quacant; & sic febris aliisque ille morbus conspirant in cer-
tiorem naturæ interitum; huc tandem refero etiam insignia
vulnera, ulcera, contusiones, obstructiones obstinatissimas
&c. quæ superveniente majori aliquâ febre, naturam faciunt
eo magis resolvi, tantoque prius succumbere. Satis itaque
patet, quod cognitâ febris præsentis causâ, adeoque & in-
dole ejus, simul cum corporis, in quo est, singulari naturâ,
quammaximè etiam necesse sit ritè animadvertere, an alii
præterea morbi adsint, & cujus illi naturæ, an sc. febre
illâ curari possint, num potius eâ exacerbentur: si nempe
spes est, morbum aliquem præsentiam febris curari posse, nec
in-

interim ab ipsâ febre ejusve causâ majus expectari possit incommodum, quam à curando priori morbo; tutò certè sustentatur talis febris: cœterum respiciendum semper ad id, quod maximè urgeat, seu unde sit magis metuendum.

§. 27. Sed nunc 4^{to}. tandem attendendum venit ad febris vehementiam. Hujus verò excessus non ritè determinatur, nisi priora, quæ jam dixi, simul benè considerata sint: ex iis enim naturæ vires magis elucescunt, quarum unicè respectu febris nimia dici potest; & ex iis pariter intelligitur istud, quod febris ope indiget, cuius respectu torpere haud raro potest: cum relatione igitur ad hæc bina de febris vehementiâ judicium formandum est. Nimirum tunc creditur febris nimis esse vehemens & proin nociva, quando naturæ vires prius inde collabascant, quam id, quod concoqui eâ deberet, coctum esse possit; vel etiam, quando major est, & hinc vires magis prosternens, quam quidem speratus requirebat effectus. Potest interdum & vehementia febris nimis esse parva; atque id quidem, quatenus refertur ad alios eâ persanandos morbos, vel quatenus suam ipsius causam corporalem superare debeat; adeo ut utroque hoc respectu possit esse nimis parva, dum ratione virium jam sit nimis magna; potest tamen & parva nimis esse, licet vires majori ferendæ sufficient. Ceterum nimia febrium parvitas de se quidem non peccat, neque igitur in curatione febrium ad illam propriè attendi necesse videatur; nimis parvum enim in febribus designat tantummodo quid privativi, quod ex se nec prodest, nec nocet, sed tantum per accidens. Ut verò medicus bene cognoscat, num febris vehementiâ suâ excedat, nec ne; oportet etiam maximè distinguere tempora febris: majus enim ex vehementissimâ febre imminet periculum tempore, quo omnia adhuc sunt cruda, quam quo coctio jam facta est, & crisis instat; consideranda etiam est febrium duratio; quò enim febris diutius corpus affixerit, eò, ceteris paribus, natura magis erit debilitata: præcipue verò omni ejus tempore symptomata bene observare & ponderare par est; hæc enim col-

lata inter se longè optimè designant, quo usque morbi vires jam increverint, designantque itidem, quid de naturæ viribus superfit, tum inde patebit, an coctio jam fiat, vel facta sit, nec ne: tandem vero considerandum etiam est, si quis alias morbus ex ipsâ febre novus productus fuerit.

§. 28. Itaque ut contraham omnia, si simul nunc nota habeatur causa & indoles præsentis febris, nec lateat corporis ægrotantis conditio, & si qui alii morbi adsunt, horum natura etiam haud sit ignota, & benè tandem magnitudo statusque febrilis internoscatur; hæc omnia, credo, medicum prudentem satis docebunt, quid boni, quid mali illa febris corpori inferre queat, & quid utriusvis prævaleat: atque hinc demum medicus scire poterit, quomodo febrem curare oporteat; hanc sibi æternam proponens legem, ut benè animadvertis, an sublatâ vel diminutâ febre majus inde corpori subsecutum sit bonum, quam nunc à febre fiat. Atque nunc igitur ex hisce innotescit, quomodo sciri possit, an tutò sibi permittatur febris, an Medicinam requirat. ex iisdem pariter hisce fundamentis haud difficulter intelligitur, quæ sit requisita febri alicui Medicina. sc. tuto sibi permittitur febris, quando inde corpus plus utilitatis, quam damni manet: sin majus inde prævideri potest damnum, tunc Medicinæ munus est succurrere, & quantumpote damnum istud avertere: quod vario præstatur modo, pro diversitate præsentis & metuendi mali. Hic autem bene me velim intelligi: non enim illæ tantum febres, quæ à naturæ viribus per se nullo modo possint superari, artis subsidia postulant; verum & illis sæpe, quæ ipso temporis tractu suâ sponte possent evanescere, Medicina prodesse potest, & debet, reddendo illas breviores & tranquilliores.

§. 29. Sic nunc, B. L. juxta prius mihi propositum ordinem perveneram ad alteram hujus dissertationis partem, quæ sc. exhiberet methodum omnibus curandis febribus adhibendum; verum metuo, ne sic dissertatio hæc in nimiam forte excrescat molem: quare destiti à priori proposito; & decrevi tantum paucissima quædam generaliora, materiem hanc

con-

concernentia, ulterius jam addere. 1º itaque statim ac deprehenditur febris, quæ non tutò judicatur sibi permitti posse, bene animadvertisendum est, an in corpore aliquid existat viti, præter id, quod febrem propriè facit: si enim aliud quid præterea adsit, semper hoc etiam considerationis esse debet: sæpe enim cōtraria hinc indicantur; quin sæpe tale quid, ut vidimus, potest adesse, quod solâ hac febre debet sanari, unde tunc ipsa indicatur febris: in quo certè casu si medicus scit febrem ita moderari, & sic nocivis ejus occurrere symptomatibus, ut natura non nimium inde debilitetur, & interim tamen singulare istud vitium in corpore existens non possit vi istius febris intactum manere, ille, credo, omne tulerit punctionem. Sin vero præter febrim, & quæ inde nata sunt symptomata, non inveniatur aliud quid peccare, optima tunc erit curatio, si cum febre simul ejus causa auferri queat; quod proin quantocum tentandum est: ni verò causa auferri possit, frustra vel ingenti sæpe cum damno niteretur quis omnem deprimere febrem; cum sic malum in corpore remaneret, & unica, quâ natura ipsa malum istud conabatur à se removere, machina sublata foret. Igitur si febris à tali deprehendatur pendere cauſâ, quæ non, nisi ipsâ febre cocta prius, corpore eliminari potest, bene cavendum est ab omnibus illis, quæ hoc naturæ opus interturbent. Naturam hic magistram sequi oportet medicum; adeoque videre tantum, quānam in re adjuvari illa vel corrigi possit & debeat; sive consulendo viribus ejus; sive exorbitantia nimis molimina moderando, & excitando nimis segnia; sive mitigando mala symptomata: dum igitur omnia hæcce medicus consideret, summae erit necessitatis simul bene attendere ad diversos febris status, unde sciat, an materia febrilis cocta jam sit, & propterea expulsioni apta: tunc autem quo natura vergat, videndum; ut per vias illas, à naturâ monstratas, si commodæ sunt, cocta materia corpore educatur: sæpe verò & in hoc posteriori opere natura sibi sufficit, tunc medicum tantum spectatorem agere oportet; interdum verò etiam artis auxilio indiget;

sive ad derivationem à locis minimè convenientibus versus magis convenientia , sive ad moderandum vel incitandum criticas illas evacuationes. Contingit autem nonnunquam pariter, quod febrilis materia ita mutata sit & emendata, ut expulsa non egeat; sed æquabili circulatione restitutâ sic febris desinat.

Quâ nunc porrò ratione, & per quæ instrumenta, omnes & singulares febres curari debeant; quomodo etiam hic semper consideranda sint sexus, ætas, vitæ genus, victus consuetudo, temperies, locus, annique tempestas, & quæ insuper huc pertinere possint; hæc, inquam, omnia de industria sicco transeo pede: quare jam igitur circa hanc materiam nil quidquam amplius addendum habeo.

F I N I S.

ORNATISSIMO JUVENI
HENRICO VAN CONVENT,
cum pro gradu doctoratus in Medicina
differeret publice.

H ENRICE, Phoebi gloria, Palladis
Alumne doctae, flos juvenum, decus
Praestans Lycei, mox paternac
Spes vegeta & columen senectae!

Gratatur, ampli dum studium vigil
Manent honores, dignaque praemia,
Amice, respondent labori,
Musa tuos celebrans triumphos.

Mutusne tanto conticeam die,
PETROque carmen, nec tibi, funderem?
Uterque clari dum tropaeis,
Et spoliis celebres opimis.

Non sic! amicos plus veneror meos;
Nec vivo facti foederis immemor;
Laetorque, si gaudet sodalis,
Et doleo socio dolente.

H ENRICE laudes en! meritas cano
Rarasque dotes, quis reliquos super
Excellis, ut plantas repentes
Exsuperant hederae tenaces,

Gestit

Gestit quaterno flumine dexteram
Inclusa Virgo tendere, Merva que
Et Mola plaudit te recepto
Cum Vahali socioque Linga.

Laetatur aegrūm maxima portio,
Tutoque credit se Medico tibi,
Cujus canetur restituto
In numero decus ore cive.

Ducente felix numine confice
Vitae superstes quod stadium tibi,
Morbosque profligans malignos
Vive memor locii valeque.

JOANNES OOSTERDYK SCHACHT.